



Disputatio theologica, in qua modeste disquiritur, quodnam sit Psalmi CXIX subjectum? Pars 2

<https://hdl.handle.net/1874/36167>

20

DISPUTATIO THEOLOGICA,

In qua modestè disquiritur,

Quodnam sit

Psalmi CXIX. Subjectum?

P A R S P O S T E R I O R.

Q U A M

P R Ä S I D E

Viro Maxime Reverendo, & Clarissimo,

D. PETRO HOLLEBEEK,

Collegii Theologici Illustr. ac Præpot. D. D.^r

Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinum Re-

gente spectatissimo, Ecclesiæ Lugd.

Bat. Pastore Fidelissimo.

Publica ac placide Disquisitioni subicit

CHRISTIANUS SITKOVIOUS, Lesnâ Polon.

Ad diem Decembr. horâ Loco solitâ.



Apud LUGDUNI BATAVORUM,
FRANCISCUM HENEMAN, Collegii Theol.
DD. Ord. Holl. & West-Fris. Typographum.

ANNO d^r Is ccviii.

364

DISPUTATIO THEOLOGICA,

In qua modestè disquiritur,

Quodnam sit

Psalmi CXIX. Subiectum?

THESIS XI.

NIdeamus nunc magnas Magni Apostoli Virtutes omnemque vitam per præcipua quædam capita paulò distinctius, & experiamur unà, quàm ejus omnia cum nostro Psalmo peropportune conspirent. (1) Primo quidem **IL-**
LIUS ANTE VOCATIONEM DIVI-
NAM CONDITIONIS fuit miserrima, si non secundum exten-
 dum speciem, sed ex veritate cum illo ipso judicemus. Erat
 Pharisæus, homo apud Judæos magnæ Auctoritatis & Vene-
 rationis, summæ præ aliis Sapientiæ atque Sanctitatis opinio-
 ne inflatus, omniaque ejus facinora, in quæcunque inconsul-
 to impetu ferrebat, Justitiæ veræ & consummatæ apud ip-
 sum habebant speciem Phil. III. 5. 6. videbaturque sibi ζη-
 λωντις ὑπάρχειν ἐν Θεοῖς Act. xxii. 3. in quo zelo etiam gloria-
 batur Phil. i. 11. 6. adeò, ut, in Deum Ejusque Christum &
 in Ecclesiam truculenter fæviens, existimaret se oportere ta-
 lia facere Act. xxvi. 9. 10. ita, licet mortuus adhuc in pec-
 catis, sine legis verâ notitiâ, sanctè vivebat in oculis suis: Rom.
 vii. 9. nam tunc omnia tua fecit ἀγγέλος ἐν ἀποστολᾳ 1 Tim. i.
 13. nescivit se peccare, donec accedente lege & gratiâ Chri-
 sti peccatum agnovit Rom. vii. 9. Act. ix. Atque sic ille,
 quam diu erat Σαῦλος ἐμπνέων ἀπειλῆς ταῦται φόνος, in coëca er-
 roris

2.
roris nocte versabatur , insigniter πλανύειν οὐ καὶ πλανῶν .
Quomodo verò hæc omnia potuerunt accuratius dici , quam
extant in Psalmo nostro ? is enim qui illuc loquitur , confite-
tur se toto illo tempore , quod humiliationem ejus antecessit ,
errasse ¶. 67. (quales errantes ¶. 21. vocantur *superbi & ma-*
ledicti :) *errasse instar ovis perdite* ¶. 176. qui error est pecca-
torum sibi relictorum Es. LIII. 6. at quam primum sibi istius
erroris est conscius , optat infucato & serio suspirio , in poste-
rum ¶. 5. ut via sua fermentur ad custodiendum Statuta De-
mini.

XII.

(II) Insolens autem , admiranda & planè Cœlestis fuit PAU-
LI VOCATIO , non ab hominibus , nec per homines , sed per
Iesum Christum ac Deum Patrem Gal. I. 1. qui Filiū suum in
ipso manifestavit ¶. 16. In hac vocatione (α) contigit Paulo
Misericordia & Gratia Dei non promerita , quam debitè ag-
noscit Gal. I. 15. 1 Tim. I. 13. 14. 16. ἡλέθη . Sic & in
Psalmo celebratur Dei Benignitas & Misericordia ¶. 12. 65.
68. 156. (β) Medium fuit apparitio Christi benigna , cum
vehementi effectu conjuncta : cum enim Paulus fastus & tru-
culentia plenus , impetrata eam in rem Auctoritate Pontifi-
cis , Damascum pergeret advinciendos Christi Discipulos ,
derepente divino fulgore coelitus est obrutus , ita ut in terram
prociderit Act. ix. xxii. 7. cum omnibus viæ comitibus
xxvi. 14. Hic fuit persecutori (qui rarissimè aliis vocatis
tam manifestò constat) conversionis locus , modus , temporis
articulus , sive terminus à quo , certus & definitus : Ejusmodi
humiliatio commodè significatur in Ps. ¶. 67. 71. 75. ubi no-
tandum verbum τῷ non tantum denotare violentam depre-
fionem Et. xxv. 5. sed etiam devotam animi submissionem
coram Deo Dan. x. 12. conf. Ps. xxxv. 13. quod utrumque
in Paulo conjunctum videmus . Nam (γ) secuta est corpo-
ris prostrationem Cordis humilitas & submissio seu ἀπαντοῦ-
adeò enim Paulus Gratia Dei verticordia fuit percussus :
ut statim tremens & attoritus rogaverit , quis es Domine ? quid
me

*me vis facere ? Act. ix. 5. 6. Insignis igitur hæc fuit Pauli
in aliud prorsus virum mutatio , qualis itidem ostenditur in
Ps. vers: 32. 57—60. & 67 , cum enim antea errasset ,
nunc Eloquium Domini se confundire ait , & quanto meliorem
adeptus jam sit mentem , declarat subsecuta universa Ejus
vita , in qua (quod de semel humiliato Davide affirmari vix
potest) per pauca , aut nulla apparent Ejus peccata.*

X III.

(III.) Quantum verò Paulus mutatus fuerit à Saulo , affa-
tim elucet ex illa ejus minimè vulgari RERUM DIVINA-
RUM NOTITIA , quæ in ejus Epistolis , in primis in illa
ad Hebræos , luculenter conspicitur. Edoctus enim ille fuit
Veritatem ab unico veræ Sapientiæ Magistro Spiritu Sancto ,
quō Eum Dominus implevit Act. ix. 17 ; cuius etiam sta-
tum fructum ostendit prædicando Damasci Christum vers:
20. Hæc & alia Spiritus S. Dona affluentia idoneum eum red-
diderunt Evangelii Ministrum , ut in fundamento struendo pe-
ritus Architectus fuerit 1 Cor. III. 10. Imò Paulus istius peritiae
sue adeo erat conscious , ut ad ipsorum Ephesiorum judicium
provocaret , quanta sit sua intelligentia in Mysterio Christi , om-
nia simul Gratia Dei accepta ferens Eph. III. 2. 3. 4. Nec
ipse tantum sue laudis præco extitit , sed insignem quoque
factus est testem Petrum 2 Pet. III. 15. Hic jam si confera-
mus , quæ dicuntur Ps. v. 98. 99. 100. 104. Optimè in Pau-
lum quadrare nemo negaverit : is enim suis inimicis , Doctori-
bus (Pharisæis , ipsoque Gamaliele Præceptore suo) & Senio-
ribus , quantum ab illuminante Christo factus est Sapien-
tior !

X IV.

(IV.) Inter præcipua verò Pauli Sermonum & Epistolarum
momenta fuit JUDICIORUM DIVINORUM , tum Gra-
tiae circa fideles Judæos & Gentiles , tum Severitatis in infi-
deles exercendæ , CONSIDERATIO . Quicquid enim Deus
de peccatoribus Constituat , sive resipiscentes in æternam re-
cipiat Gratiam , sive contumaces in malitia infernalibus poe-
nis

nis adjudicet , nihil Sanctissimæ Ejus Justitiae decadere , nihil
cam excedere demonstrat , Rom. 11:5-11. ix. 21-24. xi. 22.
23. 32. 33. ubi Sapientissimam illam Justitiae & Misericordiae
Divinæ harmoniam admiratione hac profunda reuerenter pro-
sequitur : Ω βάθος ἀλέτε καὶ τοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ . οὐ ἀρ-
χεργόντα τὰ κείματα μάται , καὶ ἀνεξιχνίασαι αἱ ὁδοὶ αὐτῶν . Talis
quoque Divinæ Justitiae buccinator in Psalmo loquitur : La-
biis meis narravi omnia iudicia oris tui ψ. 13. & 20. 75. 120.
(coll. Hebr. x. 31. xii. 28. 29.) 137. 160. 164. quem ver-
sum fortè non malè contuleris cum Iosuæ VI. 3—15.

XV.

(V.) Ea vero animi Constantia fuit Apostolo , ut ignis in-
star scintillantis in eo emicuerit ZELUS PRO GLORIA
ET LEGE DOMINI. Quemadmodum enim (a) ipse fuit
affidius in Deo εὐκαίρως , αἰνίηρως laudando Act. XVI. 25.
1 Thes. III. 10. cui ad amissim respondent Psalmi ψ. 54. 55.
62. 160. 147. 148. Sic etiam (b) omnem movit lapidem , ro-
tisque viribus in id incubuit , ut Evangelium magis magisque
propagaret docendo & scribendo , & sic plures ad Veritatem
indies pertraheret , illosque , qui Christo nomen jam dede-
rant , confirmaret. Sitiebat sæpe fidelium conspectum & col-
loquia : Talem se gessit erga Romanos Rom. I. 10—13.
Thessalonicenses 1. Thess. III. 10. erga Corinthios , quibus no-
tabiliter scribit : ζηλῶς ἵψας Θεοῖς ζηλῷ , 2 Cor. XI. 2. Compa-
rat ipse meliorem suum hunc zelum cum priore Pharisaico
Gal: I. 13—24. Imò non cessavit nocte & die cum lacrymis ad-
monere unumquemque , Act. xx. 31. Quantopere in super op-
taverit suorum secundum carnem Fratrum resipiscentiam , vid.
Rom. IX. 1. 2. 3. x. 1. xi. 14. Talis quoque est qui in Psal-
mo loquitur ψ. 63. 79. Nec minus Divinum suum fervorem
Paulus ostendit (y) contra infensissimos suos & veritatis ho-
stes , quando contra Pseudo-Apostolos acerrimè disputavit 2
Cor. XI. 13—15. quando peccatores obstinatos acerbis la-
crys mis deflevit Philip. III. 18. 19. cui planè παρείληντος
est locus Psalmi nostri ψ. 136. Rivi aquarum descendunt ac-
lis

*lis meis, propterea quod non custodiverunt Legem tuam: conf. præ-
terea de hostibus v. 115. 126. 139. 150. 158.*

XVI.

(VI) *Iste Pauli pro veritate zelus contra falsos Doctores pe-
perit ipsi horum ODIUM, PERSECUTIONES non vulga-
res & PERICULA innumera. In ipso sui Apostolatus initio
coactus est se præsentissimis vitæ periculis Damasci æque ac
Hierosolymæ subducere Act. IX. 23—30. Lystris lapida-
tus est xiv. 19. Hierosolymis Judæi manus ipsi injecerunt,
certò eum interfecturi, nisi à Tribuno seditioni fuisset erep-
tus XXI. 27—33. In Castris ipsi flagra intentata XXII.
24. 25. Tum plures quam quadraginta viri se devoverunt ad
eum interimendum XXIII. 12—14. Vid: crimina à Ter-
tullo Ei objecta XXIV: 5. 6. collato XXV: 24. Sed quid re-
fert omnia pericula enumerare, quæ ipse prolixè narrat i Cor.
IV. 9—13. XV. 30—32. 2 Cor. I. 8. 9. IV. 11. *semper
mortis tradimur propter Jesum;* & in primis longam plurimarum
afflictionum seriem exhibet XI. 23—27. At Psalmus abun-
dat querelis de hostibus vers: 22. 23. 51. 53. 61. 69. 78. 83.
84. 85. 86. 87. (*serè consumferant me in terra,* meminerimus
hic lapidationis Paulinæ Lystris factæ:) 95. 141. (*Parvulus
ego* γρῦ *est eadem vox quæ extat Ps. LXVIII. 28. Benjamin
parvus de quo vid. supra §. ix.) 157. Circa quæ loca in ge-
nere observandum, quod illis persecutionibus identidem op-
ponatur loquentis constans in observandis Testimonii &
Præceptis Dei animus, quod itidem Paulum nobis exhi-
bet.**

XVII.

Nam (VII.) omnia illa mala non potuerunt Paulum commo-
vere, ut aut metu mortis deficeret à suscepta in se Christi
causa, aut suum officium timidius minoreve cum alacritate
perageret Act. xx. 24. Quin potius ille SUMMA CUM
FIDUCIA & παῤῥοιασινῶς coram omnibus ubique, & sem-
per, vel coram ipsis Regibus & Principibus EVANGE-
LIUM PROFESSUS EST. Fecit hoc coram Sergio Pau-

to Proprietore , qui perculsus illa Doctrina Domini , credidit. Act. XIII. 6—12. in Synagoga XIX. 8. coram Primariis Sacerdotibus & Ponifice , populi Principe XXII. 30. XXIII. 4—6. apud Felicem Praesidem XXIV. 10. in Festi , qui successerat Felici , Judicio xxv. coram Rege Agrippa XXVI. 22. 26. Imò ipsi Romanorum Imperatori Neroni debuit sibi XXVII. 24. coll. XXII. 11. Peregit verò Apostolus hæc omnia iussu & auxilio Domini , qui ipsi addiderat animum : ne metue , sed loquerere , & ne tacueris , nam ego sum tecum XVIII. 9. 10. Ipse quoque in suis Epistolis constanter testatur , quam liberè & cum ipsius mortis contemtu munere suo functus fuerit Rom. I. 16. 2 Cor. II. 17. IV. 2. Eph. VI. 19. 20. Philip. I. 20. Colos. I. 28. 29. 1 Thess. II. 5. Is jam qui in Psalmo verba facit , partim summoperè Dominum orat , ne se sinat erubescere , partim ipse παρηπολαν suam in elocutione Testimoniorum Divinorum , etiam coram Regibus , profitetur. v. 6. 31. NB. 46. 116.

XVIII.

(VIII) Porro juge fuit Paulò , inde à Conversione ipsius , exercitium , PRECATIO , ut pro aliis , ita in primis pro se ipso . Quis enim credat Paulum Christianos tam læpè adhortatum esse ad præces assidias , quemadmodum fecit Eph: VI. 18. Col. IV. 2. 3. 1 Thess: V. 17. 25. 2 Thess: III. 1. 1 Tim. II. 8. nisi ipse indefessa ad Deum vota suscepisset . Et statim quidem ardentissimis ad Deum precibus novum melioris viæ statum exorsus est , quippe per triduum nil cernebat , neque comedebat , neque bibebat . Act. IX. 9. quid tum ? Orabat , idōς θερινής etatī vers: 11. quæ Vox ejusmodi dicit vota , quæ sunt cum debita attentione spiritus 1 Cor: XIV. 14. 15. & quæ adspirant ad propagandam , per dona Dei maxima , Dei gloriam Act. XIV. 23. XVI. 25. Orabat ergo tum Paulus , & nihil fecit præterea , ut de ipso verum fuerit , quod extat : οὐδὲν ἐγώ προσκατέβασμαι . Ps. CIX. 4. Quid verò credamus oratione Virum Coelitus vocatum & illuminatum , nisi præcipue , ut Spiritum Dei à Domino impetraret , & dona in primis spiritualia

tualia , qualia Christus petentibus promisit Luc: XI. 13. & 7
Paulus hic quoque impetravit Act. IX. 17. Huc certe potissima Psalmi nostri pars spectat , cuius generis sunt sequentia : vers: 5. 9. (Quod consultum voluerit Divinum Oraculum , super seminiā juvenis , juvenis autem est qui nescium virilem aetatem attrigit , quidni referamus ad vitae Paulinae ante actae impetum juvenilem ? Actor. VII. 58.) 18.
quæ apprimè convenient homini nuper duplicitate occaecato ;
Actor. IX. 9. 17. 18. vid. porro ¶ 27. & lit. n à 33 — 40.
58. 131. 145. 146. 147. 169. 170. quæ meræ preces sunt.

XIX.

(IX.) Sed gavisus est præterea Paulus , ad exemplum Abramini Hebr. VII. 6 , PROMISSIONIBUS DIVINIS sibi speciatim à Deo factis , in Apparitionibus & Alloquis. Ipse Christus illi promiterat , se ei præmonstraturum , quam multa porteat ipsum pro Nomine suo pati. Act. IX. 16. sicuti postea per visionem ipsi , quid facto opus esset , indicavit XVI. 9. Similiter alloquo Dominus ei animum addidit , ne metueret , sed loqueretur ; nemo enim manum Tibi iniciat , ut noceat , &c. XVIII. 9. 10. Postea Hierosolymis in templo , extra se raptus , vedit & audivit Dominum XXII. 17 — 21. denuo mandatum ab ipso Christo noctu accepit XXIII. 11. cum ingenti procella jaectaretur in mari , apparuit ipsi Angelus Dei. XXVII. 23. 24. Hinc Apostolus dicit , se Evangelium non accepisse ab homine , sed per revelationem Jesu Christi Gal. I. 12. & Eph. III. 3. Quibus fretus oravit Paulus eò confidentius , certò persuasus , se non pudefactum iri Philip. I. 20. Idem agnoscit is , quem Psalmus nobis exhibet , quando identidem provocat ad verbum Domini sibi factum , ¶ 25. 38. 41. NB. 49. 58. 65. 76. 107. 116. Hinc jam constat , nihil nos urgere , ut ista Psalmi verba imputare debeamus illis Apostolis , qui Christum in his terris docentem audierunt , cum potiori jure Paulo competant , qui Dominum ad Dextram Patris jam exaltatum , Magistrum nactus est.

XX.

XX.

(X.) Hinc deinde factum est, ut Paulus inter precum suarum exauditiones, & liberationes suas plurimas, & gratiarum actiones pro iis frequentissimas (Act. xvi. 25. 2 Cor. I. 4. &c.) & pia ad Deum vota, ALACRI ANIMO PERREXERIT IN STADIO ET CURSU SUO, eumque CUM SUMMA DELECTATIONE IN LEGE DEI absolverit. Rom. 7. 22. 23. Ipse enim nullius rei habuit rationem, neque vita ejus ipsi cara fuit, ut consummaret cursum suum cum gudio, & Ministerium quod acceperat à Domino Iesu ad attestandum Evangelium Gratia Dei Act. XX. 24. ut qui non solum vinciri sed & mori paratus erat pro nomine Domini Iesu XXI. 13. præcipue sedulam navavit operam fidelium saluti, ut aliquando gloriari posset in die Christi, se non frustra concurresse, nec frustra laborasse: Quin etiam gaudebat, si pro libamento offerretur super sacrificio & ministerio fidei illorum Philip. II. 16. 17. Et revera morti proximus gloriari potuit, se certamen illud præclarum decertasse, cursum periegisse, fidem servasse 2 Tim. IV. 6. 7. 8. Hujus vero generis animi & spiritus in Psalmo plena sunt omnia: v. 14. 16. 32. (viam mandatorum tuorum currans; præter ea, quæ de cursu Pauli modo dicta sunt, conf. 1 Cor. IX. 26. Gal. II. 2.) 44. 45. 50. 70. 77. 92. 109. (Anima mea in manu mea semper, i. e. vitam meam expono omnibus periculis, conf. Judic. XII. 3. 1 Sam. XIX. 5. XXVIII. 21. Job. XIII. 14. Vix vero, præter Paulum, quenquam repieres alium, qui æque animam suam in manu habuerit pro Christi gloria.] 162. 175.

XXI.

Denique, (XI.) notandum, Apostolum Paulum præ aliis Apostolis MULTA DE SE IPSO LOCUTUM FUISSÆ, (neutiquam vero propterea $\pi\acute{e}\lambda\alpha\tau\tau\epsilon\delta\omega\gamma\imath\alpha\sigma$ cuiusdam accusandus est:) non tantum considerando sua peccata, sed & MAGNIFICA ET PRÆCLARA PLURIMA, per Dei gratiam, de se prædicando. Sic minimum quidem Apo-

stolo-

Stolorum se vocat ratione præteritarum Ecclesiæ Persecutionum, sed tamen Gratiam Dei in se non fuisse inanem addit, cùm plus, quam illi omnes, laboraverit 1 Cor. XV. 9. 10. Porro tuam dignitatem & pericula sua omnia iisdem Corinthiis gloriantando prolixè recenset 2 Cor. XI. 22—27. & haec ipsa quidem ex veritate scripsit vers. 31. Præterea erga eosdem suam fidem, diligentiam, suum candorem, amorem extollit XII. 11. & seqq. Similia in Psalmo passim occurunt, ut ea vix opus sit notare, dabimus tamen sequentia: vers. 13. 22. 30. 31. 52. 54. 55. 59. 60. 62. 63. 69. & 121. feci judicium & iustitiam ad quæ verba explicanda & applicanda, non video cur ad Judices eorumque officium recurrentum sit, cùm id omnium fidelium curæ mandatum sit, operari iustitiam Ps. xv. 2. obserware jus & exercere iustitiam Es. LVI. 1. conf. Joh. VII. 24. nam inter Baptizatos legis tria, primum est judicium Matth. XXIII. 23. &c.

XXII.

Sic itaque præcipua vita Pauli vidimus argumenta, quæ quia singula in eximio, de quo locuti sumus, Psalmo CXIX. egregiè continentur, dicere aut suspicari non facile sustinuerim, elegantem hunc & perpetuum consensem esse fortuitum, nec à Spiritu Dei destinato consilio factum. Quapropter ita constituimus; neminem huc usque videri Paulo potiorem aptioremque, cui Psalmus noster assignari totus possit; non esse vero, ut plura subjecta admittamus, probatum est supra priore Disputatione §. VII. Interim tamen Sententia hæc Doctiorum Judicio nihil detractum cupimus, sed ulteriori disquisitioni eam exponimus, ea spe freti, fore ut, si illa non probetur, ipse saltem non displiceat conatus: qui præcipue in id votum definit, ut omnes Christiani Gentiles, imprimis Deo mecum dicati Juvenes & Naziræi hunc Gentium Apostolum imitando veneremur, 1 Corinth. XI. 1.

F I N I S.

'Epitaphio ad Auctorem.

Musa, jam caussas memoria fideles,
Cur Tibi doctum Juvenem superbis
Laudibus sumas caners, et sub astra
Ferre Sodalem.

Drid primus dicam? stupuit, favilis
Impis imperi miserere perusta,
Lesna Te quondam, meritoque tali
Stimpe superbit.

Sprexa Te novit, patriaque carum
Invidet nomen, dederas, Amice,
Indolis doctae specimen, futuræ
Signaque laudis.

Crescit occulte velut arbor aero
Fama Sitkovi, Viadrusque gaudet
Sive disceptes, pia seu loquaris
Dogmata Christi.

Leida magnorum Genitrix Virorum,
Leida, que doblas caput inter artes
Exaltat, nuper Juvenam recepit
Pallade natam.

Amicinum curas: ubi finis
Cipriani Cœlestis, imberbis
Nivis, pao Genuinis Aeo
Collegit. *Ex. 1.*

Protinus, postquam solidis viginti
Artibus peius, meditare docti
Ingeni præstant specimen, novosque
Edere sensus.

Præliis audax, sapienter uti
Dobitus es pugnis, Cathedramque scanc
Pugnet ut tecum Arcitenens Apollo,
Vittis abibit.

Æqua defendis, Tibi Praeses aquæ,
Sacra qui caler, didicimus sacri
Codicis sensum facilem diserta
Pandere linguis.

Martium mitis velati veritut
Agna raptorem, capree leonem
Ut pavent, hostis Tua sic vibrata
Tela timebit.

I Decus Pindi Sobolesque Phœbi
Cara, quo solvas patriæ perusta.
Nunc renascit, veluti Sabæa
Vota oblucri.

Amicinum ergo Juveni Ornatissimo,
atque Doctissimo, Amico suavissi
mo, in æternam sui memoriam
hoc posuit.

DIETERICUS SIEGFR.
CLAESSENII.